

*Lotus maritima* est planta perennis; reliquæ, annuæ; facies omnino Loti corniculati, sed folia ferè carnosa.

*Lotus tetragonolobus* floribus est purpureis, ut cætera taceam.

*Lotus conjugata* crescit semper angusta, et semper duos gerit flores, cùm præcedens unicam.

*Lotus dorycnoides*, mihi ignota planta; an non posset esse *Anthyllidis* species? Figura Clusii \* habet similitudinem cum Anthyllide cytisoïde.

*Hedysarum minimum* Dalechampi \*\* nequit esse Ornithopodium, cùm siliquæ non sunt articulatae; et si hanc notam rejicias, quorsum ruant genera Papilionaceorum.

*Hypericum elegantissimum*; si nomina specifica ita ordinanda, sive sunt differentia s. trivialia, ut convenient et recipiant omnes varietates quas ea conficiat, non capio. Video *hirsutum* et *elegantissimum* esse distinctas plantas; sed structura docet esse easdem.

\* LÉCLUSE (C. DE), *Clusius*, savant botaniste d'Arras, professeur à Leyde, 1526-1609. — *Rariorum Plantarum Historia*, 1601, in-fº. Il a la plus ancienne description de la pomme de terre.

\*\* DALECHAMPS (Jo.), célèbre médecin et botaniste; Caen, 1513-1585. *Historia generalis Plantarum*.